

FELICEM ABITVM
ad deportandam cum laude
ex Celeberrima *Vitembergensium* Academia
Supremam Philosophiae lauream,

DVVMVIRIS

ClariS.& docendi in Lyceo *Annaebergensis* bonas litteras
dexteritate diu jam probatis,

MICHAELI
KEMNAE,

Stada-Bremensi,

COLLEGAE IV.

&

CHRISTOPH.
ZIEGENHALS,

Gelenauio - Annaemontano,

COLLEGAE VI.

adprecatur

M. CHRISTIAN. FRIDER. VVILISCH,
RECTOR.

ANNAEBERGAE, Stanno Richteriano.



*De Scholarum magistros recte
aestimandis.*



A. D. A. M.



Vod in praefens molimini, ac de tam honeste oblata & prestantia nunc suprema Philosophorum laurea animo vobiscum agitata, Collegae & Amici vel ipso baptismi foedere mihi juncti, non vna, credo, eademque ratione multi vobis interpretabuntur. Cum enim magis atque magis hodie pristina litterarum majestas exolevit, nec suo amplius, quia ad aces non exeunt, studia politioris doctrinae constant pretio, litterarum quoque praemia, quibus olim animi vel rigidissimi quoque ad nobilem illam ingenii doctrinaeque contentionem excitabantur, euileseunt maxime, & flocci plerumque aut pro nihilo habentur, adeo ut non nisi ad ludibrium, turpe dictu! & contemptum tam celebrata quondam eorum dignitas recidere nunc quam plurimis videatur. Nam frigare bonas litteras, & quod multo prius est, inquit Buchnerus noster, (*) contemni palam, illud jam vetus profusum est, & vbique receptum. At vero

*Qui pelago credit, magno se foenore tollit,
Qui pugnas & castra petit, praecingitur auro,
Vilis adulator picto jacet ebrius ostro,
Et qui sollicitat nuptas, ad praemia peccat.
Sola pruinosis horret facundia pannis,
Atque inopi lingua desertas inuocat artes. (**)*

Et vera profecto sunt, quae illustis in Saxonum aula Scipio, (***) Io. Frid. Reinhardus, tam elegans liberalium studiorum omnisque doctrinae & auctor & admirator, in *Theatro suo* vere *Elegantioris Prudentiae* (****) habet: *Calcantur*, inquiens, *bonae artes, & quod calamitosos sequitur, contemptui sunt. Deus auertat omen, ac irritum faciat, quicquid hac cogitatione defixus animus timet: sed videor tamen imminuentem videre immensam quandam noctem litteris, quae nisi mature catur obuiam, & sapientiae studia e situ, e squalore, e sordibus, quibus oppressa & fastidita ab aliis, ab aliis concata*

(*) Epist., I. (**) Petronius p 94. (***) de quo *Collegij* ita L., I., c. 13, n. 3. (****) L., II., c. 17, p. 724.

culcata jacent, vindicentur, nouum cbaos importabit terris, & in-
star vastae voraginis, humanitatem omnem hauriet atque absorbe-
bit. Et quid mirum? Sublatis enim studiorum pretiis, inquit
Tacitus, () auctor, quem nostis, grauisissimus, etiam studia per-*
ant necesse est. Nam vel ideo male humanis ingeniis consu-
luisse natura videtur, quod dolentius saepe grauitam alter alteri
exhibeamus operam, eumque aegre plerumque feramus la-
borem, quem praemia non exsuperent & e vestigio mercedes
amplissimae sequantur, cum fortes tamen & sapientes viri, ex
*mente Ciceronis (**)* *nostri, non tam praemia sequi soleant recte fa-*
ctorum, quam ipsa recte facta. Quare cum, posthabito omni
praemio ac studiorum mercede, honoris quoque & gloriae
spes, non mediocri ad res fortiter suscipiendas gerendasque
laudabiliter telum & calcar acerrimum, litterarum adimatur
cultoribus, stimuli quoque ad amplectendam & altius propa-
gandam litterarum dignitatem cupiditates citius, seculi praes-
*entis vitio, exarefiant. Scimus enim, auctore Symmacho, (***)*
bonas artes honore nutriri, atque hoc specimen esse florentis Reipubli-
cae, ut disciplinarum professoribus praemia opulenta pendantur. E-
quidem cum alii, siue digni, siue indigni, ejusmodi premitare ho-
nores, quos elegantioris doctrinae studia sibi vendicant, titulos-
que Academicos & insignia captare satagunt, non adeo irritant
hominum iudicia, nec dicaciorem in se reddunt exacuuntque po-
pulum, quam cum ii, quos officii ratio publicos iam docendi
magistros constituit, creauit, probauit, honesta ratione studio-
rum ambiunt praemia, veluti omnium iudicio digni, qui ad
perpetuos scholarum carceres detrusi, non nisi in umbris & pul-
uere delitescant, nec unquam clariorem orbis eruditi lucem ad-
spectent. Quot enim sunt, qui de his litteris, quae humanio-
res vocantur, eam animo imbibere sententiam, ut earum tracta-
tionem leue quiddam esse ac nugatorium existiment, (loquor
*enim cum Mureto (****) neque aut magnos admodum labores*
ab iis suscipi, qui eas iuuentuti tradunt, aut eorum magnopere fru-
ctuosam esse Reipublicae industriam, in eis denique non exquisitam il-
lam ac reconditam, sed circumforaneam quandam haustamque detri-
uuis ac circulis requiri doctrinam, putent. At valeant stultae am-
bitionis & pusilli animi homines, magno conatu & mirabili
molitione ineipientes, eant isti conuictiorum magistri, fabula-
rum interpretes, nugarum architecti, eant inquam & perfri-
cent, si quam habent, frontem, suamque, qua inslantur, doctri-
nam jactitent, nos forte nostra contenti ipsis bellum non mo-
uebimus, sed omnes illos suo abundare sensu, & verticem plus
nimio tollere libenter patiemur. Nec villo tamen, Collegae Amic-
cissimi, Scholarum capiamur taedio, sed constanti vultu & ani-
mo intrepido opus Domini strenue peragamus, & arctissima v-
bi

(*) II, Annal. 7.4. (**) pro Mil. c. 35. n. 96. (***) L, I, Ep. 79. (****) Orat. III, § 10 I. p. 22.

EX 119 145

x 2945054

vd 18

biuis, vnanimique, quam ad inuidiam vsque tuamur vterius, concordia & conspiratione conjuncti, tenerae mentis agnellos, fidei nostrae commissos, ad limpidos & genuinos pietatis bonarumque litterarum ac morum, non riuulos, quos tardi ingenii esset consecrari, (*) sed ipsos fontes, nonnisi paterna velut manu ducamus, pasceamusque nauiter & cum cura, μηδ' αναγκαστως, ἀλλ' ἐκασίως, μηδὲ ἀίχρονερδώς, ἀλλὰ προθύμως. Quod cum & vos, Collegae desideratissimi, pari cum reliquis fide, pari industria & labore indefesso adhuc tentastis, vestramque, docendi puerilem aetatem & bonis litteris imbuendi, dexteritatem atque solertiam, Patronis vestris Amplissimis reliquisque Musarum politiorum aestimatores commendatiorem reddidistis, non est, quod aliter sentientium nec aequo vbiuis joue iudicantium timeatis censuram, sed eodem, quo alii litterarum cultores vtuntur, iure ac priuilegiis suffulti, communia studiorum praemia, quae vos non inani quadam inflatos gloriola affectare & scio & testari possum, secure & cum applausu complurium bonorum, nec sine optimis rei Scholasticae ominibus capiatis. Quare ite, ite O! Amici, & saluere in exoptatissimum & necessarium maxime totius Ecclesiae purioris ac vniuersae rei litterariae incrementum iubete *Vitembergam*, benignissimam pietatis, studiorum, disciplinarumque matrem ac nutricem foecundissimam, totius Saxoniae, imo Germaniae lucem atque arcem omnium eruditorum munitissimam, saluete inquam peramanter & vel meo nomine exosculamini amicos, quos ibi habebimus, eosque tam illustrium Musarum iucunditate ex voto frui iubete, quae & vos si delectati ad breue tempus fueritis, felices ad vestrorum amplexum redite! Scrib. m. April. Anni Dionysiani clo lv cccxiii.

* Cic. L. II. de Orat. c. 27.



110

FELICEM ABITVM
ad deportandam cum laude
ex Celeberrima Vitembergensium Academia
Supremam Philosophiae lauream,

DVVMVIRIS

ClariS. & docendi in Lyceo Annaebergen
dexteritate diu jam probati

MICHAEL
KEMNAP

Stada - Bremensi,

COLLEGAE IV.

&

CHRISTOPH
ZIEGENHAUSEN

Gelenauio - Annaemontana

COLLEGAE VI.

adprecat

M. CHRISTIAN. FRIDER. VVILHELM.
RECTOR.

ANNAEBERGAE, Stanno Richt

